



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Senonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

contradictionis & appellationis obstaculo, auctoritate apostolica confirmatis, & prædicto G. vel alio quolibet illicito detentore amoto, faciatis ipsam abbatiam prædictam per censuram eccle. appellatione remota pacificè possidere. Nihilominus quoque volumus & mandamus ut monachis Faverniacensibus, tam illis qui Abbati Casæ Dei obediunt in hac parte, quam aliis, de bonis monasterij, donec causa finem debitum forriatur, faciatis sicut expedit provideri. Si qui verò se temerè duxerint opponendos quò minùs mandatum apostolicum impleatur, à temeritate sua per censuram eccle. appellatione remota compescatis. Alioquin causam audiatis, & eam appellatione remota sine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram eccle. à partibus firmiter observari. Testes autem &c. eadem restrictione appellatione remota cogatis. Nullis literis obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si omnes &c. tu frater Archiepiscopo cum eorum altero &c. Datum Laterani.

CAPITULO SPOLETANO.

Epist. 102.
Vtrum meretricem ducere possit post mortem uxoris, cui vivente uxore adhæserat.
Cap. Significatis. De eo qui duxit in mar. quam poll. per adult.

Significastis nobis per literas vestras quòd cum P. civis Spoletanus quandam mulierem duxisset legitimè in uxorem, ea relicta cuidam meretrici adhæsit, & cum ab ejus contubernio ad torum non posset legitimum revocari, vos in eum excommunicationis sententiam protulistis. Verùm cum medio tempore uxor ipsius viam fuisset universæ carnis ingressa, meretricem, cui adhæserat, desponsavit. Propter quod à nobis requiritis, quid sit vobis in hoc articulo faciendum. Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam canonicam respondentem, discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel ea vivente fidem sibi dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum judicetis, excommunicato munus absolutionis, si petierit, juxta formam Ecclesiæ impensuri. Datum Romæ apud S. Petrum viij. Kalend. Maij.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Epist. 105.
Vt compellat

Inter cetera quibus ad universalis Ecclesiæ gubernationem instrumur, il-

le cuius gratia non meritum nostrum ad ejusdem regimen nos provexit, mirum & mirabile nobis suæ benignitatis reliquit exemplum; in eo videlicet quòd sicut de beato Petro, cuius sumus, licet immeriti, successores, à Domino factum esse videmus, infirma mundi elegit, ut fortia quæque confunderet, misericorditer prævidens quòd qui secularium pondusante suam vocationem sustinerat passionum, fragilitatem humanæ conditionis expertus, fratribus suis melius compati sciret & commodius misereri, dum sibi conscius, de se haberet evidens in similibus argumentum. Hæc verò ante nostros oculos proponentes, postquam dilectus filius noster magister P. de Cassaneto seriem negocij sui nobis exposuit, paterna super eum moti fuimus pietate: cuius factum, cum ex certitudine rei, quam nos, dum olim minori fungeremur officio, tractaveramus, in parte plenioris fidei testimonium adjuvaret, ad succurrendum ei, & labores ipsius inutiles relevandos, animi studium sollicitioris assumpsimus, ne miseranda ipsius afflictio, quæ jam ei perplexitarem dubiam minabatur, sedem apostolicam expertem esse solitæ misericordiæ ac remediij debiti causaretur. Tibi siquidem satis credimus esse notum qualiter facta resignatione à dilecto filio Vv. de Buchar in quodam Canonico Laudunen. de præbenda ejusdem Ecclesiæ, quæ per commutationem præbendarum dilecto filio H. tunc Sicinien. Canonico à bonæ memoriæ Decano Remen. auctoritate apostolica assignari debebat, prædictus magister per venerabilem fratrem nostrum Laudunen. Episcopum de præbenda fuit investitus eadem, & tam in choro quam in Capitulo per dilectos filios Decanum & Canonicos Laudunen. adhibitis solennitatibus debitis juxta Laudunen. Ecclesiæ consuetudinem institutus. Super quò cum inter ipsum & dictum H. controversia suborta fuisset, & appellatio ad sedem apostolicam interjecta, licet idem magister cum magnis laboribus & expensis ad eandem sedem accedens, post diutinam expectationem, quæ sub intemperie periculosi temporis imminente ipsum tædio multo & diversarum persecutionibus incommoditatum affectum ferè usque ad extrema deduxit, suum negocium contra memoratum H. pro suo desiderio complevisset, eo tamen post-

Decanum & Capitulum Laudunen. M. Petrum in Canonium recipere.

postmodum causa infirmitatis absente, ad instantiam saepesati H. tunc apud apostolicam sedem praesentis per bonae memoriae C. Papam praedecessorem nostrum de fratrum consilio omnia retractata fuere. Sicque ipse magister sua spe frustratus omnino, post destitutionem suam sedem apostolicam fuit iterum adire coactus, nullum sibi videns remedium superesse, nisi ejus desolationi multiplici sedes apostolica duceret misericorditer providendum. Propter haec igitur, & alia multa, quae causam ejus favorabilem reddiderunt, nos circa ipsum paternum gerentes affectum, praedictis Decano & Canonicis Laudunen. mandando districtè praecipimus, ut eundem magistrum, qui per dictum Episcopum in eorum Ecclesia institutus fuisse dinoscitur, & per ipsos in fratrem admissus, salvo eo quod de Praefato H. sedes apostolica sententialiter diffinivit, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, Canonicum habeant tam in choro quam in Capitulo, & in aliis, quae ad Canonicum pertinent, fraternam eum caritate tractantes. Praeterea ipsis firmius inhibemus, ne aliquem in Canonicum recipere aliquo modo praesumant, donec antedictus magister praebendae beneficium in praefata Ecclesia plenarie sit adeptus. Vnde fraternitati tuae per apost. scripta praecipiendo mandamus, quatenus si memorati Decanus & Canonici mandatum nostrum neglexerint adimplere, tu eos ad receptionem ejus, prout dictum est, faciendam, sub appellationis obstaculo, per distractionem ecclesiasticam, monitione tamen diligentè praemissa, compellere non omittas; quoslibet qui mandato apostolico se duxerint opponendos, eadem censura comprehensens. Noveris autem quod quia nolumus ut idem Episcopus occasione alicujus promissionis seu cujuslibet auctoritate rescripti à sede apostolica impetrati, ad eludendum mandatum nostrum se valeat excusare, ipsi districtè praecipimus, ut donec idem magister in eadem Ecclesia fuerit praebendae beneficium assecutus, nulli alij praebendam modo quolibet assignare praesumat. Quod si forte praesumpserit, id irritum decernimus penitus & inane. Decet enim ut quia praebendam ei, quam de jure non potuit, assignavit, eam, quam de jure potest, assignet, ne praebendam illi frau-

dulenter visus sit assignasse. Datum Romae apud sanctum Petrum x. Kalend. Maij Pontificatus nostri anno primo.

In eundem ferè modum Episcopo Laudunensi. In eundem ferè modum Decano & Capitulo Laudunen.

*ABBATI, ET CONVENTUI
S. Benedicti in Edera.*

Accedens ad praesentiam nostram dilectus filius Iohannes monachus vester, humiliter nobis exposuit quod cum olim in minori constitutus aetate se ad vestrum ordinem transtulisset, postmodum infirmitate coactus egrediens, ad aliam religionem de consilio se transtulit saniori, in qua omnes ordines se asserit assumpsisse. Verum quia utrum in illis ordinibus officium suum exequi debeat, vos audivimus dubitare, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus nisi aliud canonicum impedimentum obsistat, eundem monachum in suo permittatis officio liberè ministrare. Datum Romae apud sanctum Petrum x. Kalend. Maij, Pont. nostri an. primo.

ARCHIEP. MONTIS REGALIS.

Quae in monasteriorum & religiosorum locorum praedictorum attentantur, in statum convenit debitum revocari, nec firmitatem debent aliquam obtinere, quae in enorme damnum ipsorum minus licitè praesumuntur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, Ecclesiae tuae volentes utilitati consulere, auctoritate tibi praesentium indulgemus ut quae in Ecclesia tua & in omnibus pertinentiis ejus illicitè alienata inveneris, tibi liceat legitime revocare. Nulli ergo &c. Datum Romae apud sanctum Petrum xi. Kalend. Maij &c.

E I D E M.

Possessiones ad mensam tuam vel Capituli pertinentes alienare non debes, aut Ecclesias, in quibus consueverunt monachi ministrare, Clericis vel laicis assignare personis. ideoque fraternitati tuae auctoritate praesentium districtè inhibemus, ne possessiones, casalia, vel Ecclesias, quae non consueverunt in beneficium assignari, alicui perenti concedas, immo potius Ecclesiam sancti Clementis de Messana, quam Gerardo Teutonico, & sancti Sepulchri Eccle-

*Epist. 104.
Ut in alio ordine monachorum legitime ad sacros ordines promotus, ministrare non prohibeatur.*

*Epist. 106.
Ut omnia de bonis Ecclesiae illicitè alienata, revocentur.*

*Epist. 106.
Ne res & bona Ecclesiae alienentur, praesertim quae sunt de mensa Episcopi.
Cap. Possessiones. De rebus ecclesiae alienandis, vel nonj*

H